



Gamlebd.

010

dk,

DE  
CAVSSIS ET VITIIS  
MECHANISMI  
SCHOLASTICI  
COMMENTATIO SECUNDA

QVA.

PUBLICAM QVATVOR IVVENVM IN DICENDO  
EXERCITATIONEM

INDICIT

CAROLVS HENRICVS SINTENIS

AA. LL. M. RECTOR LYCEI TORGAVIENSIS.



---

TORGAVIAE, LITERIS RUIDELIANIS.

DE  
CASSIS ET ALTIIS  
MECHANISMI  
SCHOLASTICI  
COMPUTATIO SECUNDU  
EXERCITATIONUM  
CERIOIAS HERICAS SINTENS  
TURBIDITATIS INSTRUMENTA



**E**st hoc de plurimis et luculentissimis ELECTORIS SERENISSIMI nostri in Musas benignitatis et munificentiae documentis, quibus vel apud remotissimam posteritatem Principis bonarum artium Amantissimi gloriam Sibi conciliabit, quod, inueterata ista, quae multis in scholis huc usque obtinuerat, pueros et iuuenes fingendi formandique methodo abrogata, seniori et salubriori ratione, qua aetatis humanitati respondetur, iuuentuti prospicere ab Eo iussi sunt scholarum magistri. Omnes enim, qui legendis veterum monumentis, quam Graeci et Romani, pro aetate sua, in instituenda pueritia et iuuentute adhibuerunt, curam, industriam, assiduitatemque perspexerunt, non solum magnam, quae illorum inter et nostræ aetatis instituendi rationem intercessit, differentiam cognoverunt, sed etiam de nimia negligentia, qua puerorum et iuuenum ingenia in scholis opprimebantur, conquesti sunt. Iustam hanc omnium bonorum fuisse querimoniam, superiori anno commentatione quadam de causis et virtutis Mechanismi in scholis technici, demonstrauimus, et, quod maximum mihi affert solatium, in eo consistit, ut omnia, quae de hac Mechanismi forma in commentatione illa, prius in

**I**ucem conspectumque emissa, quam publica illa scholarum emendatio in nostra regione esset promulgata, mihi monenda sunt vi-  
sa in ipsa scholarum emendatione firmata et comprobata legantur.  
Quicquid igitur in meis, et Fidelissimorum Collegarum, viribus  
fuit positum, nos omnes ad id contulimus, ut instituendae pue-  
ritiae rationem, in inferioribus Lycei nostri classibus receptam,  
emendaremus, et breui fortasse mihi praebebitur occasio, qua  
hanc scholae nostrae emendationem publicae diiudicationi subiici  
liceat. Quot quantaque vero sint commoda, quae, expulso et  
proscripto Mechanismo technico, publicarum scholarum institu-  
tioni comparentur, ita, ut pueri, non ad modum brutorum, ex  
feritate ad mansuetudinem traducendorum, sed hominum, fin-  
gantur, tot tantaque etiam, praescripta et iniuncta salubriori ex-  
plicandorum auctorum classicorum ratione, iuuenibus, elegantiae  
et venustatis linguarum studiosis, conciliantur. Obtinuit nimi-  
rum huc usque permultis in scholis inueterata quaedam et iejuna  
auctores interpretandi ratio, quae non solum neque aetatis no-  
strae humanitati, neque profectibus iuuenum consuluit, sed ipso-  
rum etiam antiquitatis auctorum dignitati et amplitudini nimirum  
quantum detraxit, ut, in longe inferiorem locum detrusi, vix  
magistri linguarum censerentur. Peruersam hanc legendorum  
auctorum classicorum rationem nominemus Mechanismum *exe-  
geticum*, et, aliorum scholae magistrorum, qui de utilitate publi-  
cae scholarum emendationis commentati sunt, exemplo incitati,  
de eo iam verba facere constituimus.

Mechanismus exegeticus est frigida et insulsa ista ingenii iu-  
uenum colendi ratio, qua voces auctorum, non intellectae, fere  
totidem vocibus germanicis, aequo obsecris, transferuntur, ita,  
ut memoriae quidem in colligendis vocibus et loquendi formulis  
consuli videatur, iudicandi vero facultas, illiusque exercitatio,  
penitus negligatur. Quae veteres auctores legendi ratio quam  
absonta quamque peruersa sit, uberiori descriptione facile appa-  
re.

rebit. Iuuenes praeparatione, quae dicitur, instructi, h. e. stipati, et quasi armati copia vocum, ex DAENZLERO, NEVBAVERO, WEISMANNO, PASORE et maiori et minori, et quae sint reliqua cornua copiae, ita conquisitarum, vt vim vocis, primo loco in lexico positam, sensui auctoris accommodatissimam putent, ad ipsam auctoris lectionem accedunt. Magister mechanicus, laudibus priuatae industriae inter discipulos rite et decenter distributis, in transferendo ad verbum vel praeit, vel discipulos, mox SINCERI commentarium, textui notulis additum, mox praeparationis libellum consulentes, adiuuat, vt translatio conficiatur, cui si auctores ipsi interessent, vel obstupefacti, quid scripsissent, saepe ignorarent, vel vix risum continerent. Iterum iterumque reperita hac genuina translatione, ad uberiorem pensi translati explicationem, vt Critici loquntur, magister progreditur, et quomodo? praeter iejunam praeceptorum artis loquendi accommodationem, centies fere auditur exclamatio: *baec est bona phrasis, digna, quam notetis!* vel: *boc non occurrit quotidie!* Discipuli igitur, iussi a magistro, vt in transferendis sic dictis exercitiis stili habeant flores et stellulas, quibus orationem distinguant, has loquendi formulas, ex disrupta orationis serie, in libello quodam, in gratiam phrasium confecto, ope digitorum, non iudicii, consignant. Formae deinde loquendi, in auctoribus obuiae, cum aliis permutantur, et, vt lecta in succum et sanguinem conuertantur, integrarum periodorum instituitur variatio, vt ex periodo concessu conficiatur conditionalis, et ex comparativa cauſſalis, quasi auctores, viri sapientissimi, et in magnis rebus publicis versati, in diligendis vocibus, et enunciationibus continuandis, tam supinac negligentiae fuerint, vt in locum cuiuslibet vocis, vel integrae dicendi rationis alia quaecunque substitui, et quaelibet periodus in aliam formam non tam torqueri, quam facillime redigi posset. Haec igitur, ne diutius in illa describenda commoremur, pristina fuit, et in multis Scholis recepta, auctorum legendorum ratio.

Sed mihi saepe cogitanti, quae tandem Mechanismiexe-  
tici caussae tam salubris lectionis fructum interceperint, non una  
occurrit. Ac priorem quidem hanc puto, quod dictitant, latinos  
auctores hac tantum de caussa cum iuuenibus legi, vt, in academiam  
profecti, cum Professorum lectiones, tum doctorum in  
suo cuiusque genere hominum libros, latine scriptos, intelligere,  
et in disputationibus et examinibus publicis linguam volubilem  
habere, et latine scribere possint. Ad graecos vero auctores quod  
attinet, hos ab iis tantum legendos putant, qui vel ad dixinarum  
rerum intelligentiam cogitationes et studia conferre constituerint,  
vt oraculorum diuinorum partem, quae graeco sermone conscri-  
pta est, intelligere discerent, vel qui in assequenda artis medicae  
scientia operam et industriam collocent, proptereaque quod multa  
vocabula hac in arte de graeco fonte ducta sunt. Certe nescio,  
quo misero et deplorando veterum auctorum fato acciderit, vt de  
ipsis humilius sentirent homines, quam par fuisset, neque tanta,  
quae potuisset, ad iuuentutem utilitas ex iis redundaret! Num  
CICERO, in quo ingenii humani summa vis et quasi mensura e-  
luxisse putatur, qui, homo per se cognitus, nulla commendatione  
maiorum, ad summum imperium per omnes honorum gradus elat-  
us est, et ad quem una omnium et consentiens vox principatum  
prae reliquis omnibus auctoribus, quorum lectione integri iue-  
num animi imbuantur, desert, num LIVIUS, paeclarus et eximi-  
us ille historicus pragmaticus, ad quem visendum vel Gaditanus  
quidam, nominis eius gloria commotus, ab ultimo terrarum or-  
be, vt PLINIUS refert, venerat, num IVLIVS CAESAR, quem e nostris  
in deliciis habuit EVGENIUS, num XENOPHON, quem SCIPIO AFRI-  
CANVS nunquam de manibus posuit, num POLYBIUS, in cuius hi-  
storia legenda noctes in castris transegit BRVTVS, num, inquam,  
diuini hi viri aliique, in republica partim diu versati, partim ma-  
ximum rerum ciuilium usum consecuti, cum ad scribendum se  
contulissent, putarunt, quicquid humanitatis, venustatis, lepo-  
ris,

ris, urbanitatisque in eruditio[n]is suae monumentis exprimant, id  
eum in finem posteritati se esse relicturos, ut post aliquot saecula  
magistri scholarum, dictitandis ipsorum formulis latinis, ignobi-  
li et liberalioribus hominibus non tolerando modo victum qua-  
rant? Quis est, qui putet, Celeberrimos illos viros, qui, libris in  
lingua vernacula eleganter et venuste compositis, nominis immor-  
talitatem vel apud exteris sibi conciliarint, tantum eum in finem  
scripsisse, vt iuuenes ex illis linguam germanicam sibi cognitam  
redderent? vel quis magistrorum est, qui hos libros eum in finem  
cum iuuenibus legat? Valuit haec semper inter doctos sententia,  
omnem veram, et exquisitam doctrinam, omnem ingenii cultum,  
omnemque ingenuam disciplinam ex graecis latinisque auctori-  
bus esse petendam, hinc formandis iuuenium ingenii et animis  
veterum auctorum legendorum studium adhibuerunt, vt, illo-  
rum quasi degustatione et suauitate capti, per omnem vitam inti-  
ma illorum familiaritate fruerentur. Sed instant, finis vitae scho-  
lasticae hic est, vt iuuenes linguarum antiquarum cognitionem  
percipient, scientiae et disciplinae in academiis tractantur. His  
vero respondeo, verum quidem est, scientias et disciplinas, cum  
aliae in antiquitatis monumentis contineantur, aliae vero iisdem  
in maiori luce ponantur, non prius posse exquise intelligi, quam  
ipsa antiquitatis monumenta intellexeris, sed nihilo tamen secius  
ipsae res, in auctoribus obviae, ad augendam discipulorum iudi-  
candi facultatem, non sunt penitus negligendae. Est quidem co-  
pia vocum et phrasium in auctorum interpretatione et lectione  
spectanda, sed ita, vt illi ultimus locus inter reliqua, ex hac lec-  
tione redundantia, eaque maiora et praestantiora commoda, tri-  
buatur. Viuere, non tantum latine loqui, discat iuuenis!

Sed nulla maior corruptela hominum ingenia inuadere po-  
nit, quam absurd[us] et absonta opinio, qua mechanicam auctores  
explicandi rationem, supra a nobis descriptam, ideo probandam  
censuerunt, quia uberiori verborum et rerum, in auctoribus clas-  
sicis

ficiis occurrentium, interpretatione impediretur, quo minus multi cum iuuenibus legerentur auctores. Quo plures illorum, dicunt, a iuuene in scholis leguntur, eo plus adiumenti et ornamenti a literis humanioribus sperare potest. Quid vero iuuat magna ista subtilitas, vel potius scholastica barbaries et garrulitas, in iudicandis, quae recte, acute, magnifice, suauiter, secusue, dicta sint? Grammaticorum et Criticorum, non iuuenum est, de veteribus fabulis, de ritibus Graecorum et Romanorum, de minutis syllabarum, ac singularum paene literarum, de verborum interpunktionibus, et de veterum librariorum erroribus differere. Sed quae ista delicatorum hominum imprudentia est! Fateor quidem, permultos existisse, qui ad minutias et inutiles quaestuunculas, quarum, vt in omnibus, et vel in sacris disciplinis, ita etiam in hac nostra, satis magna est copia, ita studium conferrent, vt, quasi talibus rebus omnis humanitas inesset, iis inuestigandis, grauiora et salubriora praetermitterent. Quis vero sapientiorum et prudentiorum est, qui talium virorum ieuinitate ipsam humanitatis disciplinam metiatur? Est haec certe non una humanitatis vis, quamvis egregia, vt, recte, acute, magnifice, et suauiter de singulis rebus dicendi facultatem largiatur, aperit simul veros et puros sapientiae, prudentiae, eloquentiae, historiarumque fontes, et omnium rerum, ad ingenii et vitae cultum necessariarum, gustum quandam et intelligentiam affert. His praeципue nutriantur iuuenes, his recte scienterque imitandis iuuenes adsuesciant magistri. Quodsi vero mechanicae istius institutionis studiosi putant, se, quo plures cum iuuenibus perlegant, vel potius peruagentur auctores, eo melius iuuenum commidis et saluti prospicere, ego quidem facile iis largior, multum ad augendam amplificandamque antiquitatis cognitionem iuuenibus conferre, quo plures veterum auctorum sibi familiares reddiderint, sed ad consequendam in scribendo elegantiam, h. e. puritatem, perspicuitatem, urbanitatemque, non solum non opus est,

est, ut magnum auctorum numerum perlegant, sed, vt deinceps demonstrabimus, studium hoc in perlegendis multis auctoribus haud exiguum illis in formanda scribendi facultate affert impedimentum. Nihil igitur hunc in finem iuuat, permultos in scholis legisse auctores, sed quanta diligentia legeris optimos. At dicunt: multi sunt auctorum, tam graecorum, quam romanorum, qui aliis, ob nimiam in scribendo negligentiam, ob impuritatem, ob neglectam gratiam et venustatem, longe multumque sint postponendi, sufficit igitur, hos tantum cursorie, ut loquuntur, legisse, non opus est uberiori interpretatione. Quamquam vero negari non potest, magnam inter auctores, partim ex publico patriae ipsorum statu, cum, qui in libera ciuitate, vel ea saltē vixerunt, in qua adhuc umbra quaedam pristinae libertatis remanserat, maiorem et excellentiorem animum in scriptis expresserunt, partim ex ipsorum educatione, studiis, et viuendi ratione, ortam esse differentiam, exinde tamen non sequitur, ut ii cum iuuentute sint legendi, qui vel ratione aetatis, vel formae orationis, inferioris sint notae. Quid? quod licet nonnunquam, ob res, cum iuuenibus sunt consulendi, nequaquam tamen mechanice, sed cursim leguntur, ita, ut res quidem notatae dignae, eaque iudicio perceptae, memoriae mandentur et imprimantur, voces vero et dicendi formulae notentur et emendentur.

Sed haec de praecipuis Mechanismi exegetici caussis sufficiant. Etenim nescio, quomodo ad vitia eius detegenda festinat animus. De quibus vero breuiter dicturus, video, me optime facturum, si in uniuersalia vel comunia, et in propria diuidam. Illa Mechanismus exegeticus cum technico habet communia, haec soli exegetico insunt. Ad communia referamus et facultatis iudicandi et memoriae neglectum. Vis et potestas vocum, in lexicis, quae plerumque in iuuenium manibus versantur, indicata, non semper et ubique locorum contextae orationis seriei et sensui responderet. Ad quod comprobandum duas tantum eligam

loquendi formulās, easque fere quotidie apud auctores obuias.  
Altera sit phrasis: *ad rem publicam accedere*, vel *illam bene administrare*, altera vero: *capitis damnari*. Secundum lexicographos,  
qui in usum iuuentutis, h. e. in forma portuāli et compendiaria  
thesauros linguarum collegerunt, illa significat: anfangen, an der  
Verwaltung des Staats Anteil zu nehmen, oder, denselben gut verwah-  
ten, haec vero: zum Tode verurtheilet werden. Qui sensus multis in-  
locis partim nimis indeterminatus, ambiguus et obscurus, partim  
inconueniens, falsus, et parum accommodatus est. Magister vero  
mechanicus de eo non laborat, vt iuuenis, ad eruendam vim ve-  
ram, mentique auctoris aptam et idoneam, nexus vōcum circum-  
spiciat, omnique iudicī acie contempletur. Multis porro difficul-  
tatis saepe laborat consecutio vōcum, vel abhorrens a linguae  
analogia, vel multis omissionibus et interruptionibus contexta;  
multa saepe occurruunt notatu digna, quae ii, quos omnis aetas  
sapientissimos iudicavit, de rebus diuinis et humanis praecepe-  
runt, quaeque ab iis pacis bellique temporibus gesta sunt, sed  
magister, mechanicae institutioni adsuetus, non querit, unde  
difficultas orta sit? utrum hi summis ingenii et incredibili studio  
homines recte iudicarint, an pro ingenii humani imbecillitate et  
tenebris in errores inciderint? utrum res gestae eorum pruden-  
tiae, virtuti, honestati, et humanitati respondeant, vt exemplum  
nobis, quod imitando consequistudeamus, relinquant, nec ne? Ex  
his omnibus pārum utilitatis in iuuenes redundare putat, inscius,  
sic omnem iudicī et ingenii, quasi tum demum acuendī, cum  
iuuenis Logices et Dialecticae praeceptis imbūatur, vim opprimi  
atque deleri. Sed non solum iudicandi facultatem, sed ipsam  
quoque memoriam, ad quam tamen emendandam multa conser-  
re putatur, aequē negligit Mechanismus exēgeticus, ac technicus.  
Rerum enim et vōcum notis vel simulacris obscure et confuse  
perceptis, fieri nequaquam potest, vt memoria reddatur tenacior  
atque fidelior. Ipsa notio, quae graeco latīnōe vocabulo subii-  
ci

ci soler, nisi ea luce est insignita et collustrata, ut clara et expleta  
numeris suis nominari mereatur, quomodo in mentem potest re-  
dire, vel, ea praesente animis nostris, verbum graecum latinum-  
ue? Memoria nititur phantasia, hinc facile intelligitur, quicquid  
phantasiam iuuet, id memoriam quoque iuuare, quicquid vero  
illi oblit, idem quoque huic officere.

Nimis vero fortasse iam multa de vitiis, quae Mechanismus  
exegeticus cum technico habet communia, inuestigemus nunc ea,  
quae illi insint propria. Primum est, mens auctoris non percipi-  
tur. Quilibet locus unum tantum habet per se sensum, quem  
tunc temporis integrum perspicit iuuenis, cum, quae auctor in-  
scribendo cogitauerit, eadem ipse, et pari perspicuitate, in legen-  
do cogitat. Quod vero cum saepe non facillimum est, multo mi-  
nus interpretatione imperari semper potest ea, quam lexica et artis  
loquendi praecepta suppeditant. Non opus est, ut multis exem-  
plis hoc collastrem, duo tantum proferam. In epistola 6. libri IX.  
epistolaram Cic. ad Diu. legitur: *qua studia magnorum hominum*  
*sententia vacationem habent etiam publici munera, ita, conceden-*  
*te republica, cur non abutamur?* Ad verba si iuuenis hunc lo-  
cum transfert, hunc habet sensum: warum sollten wir nicht mit Ein-  
willigung des Staats, diejenigen Wissenschaften missbrauchen, welche  
uns, nach der Meinung grosser Männer, von der Verbindlichkeit, ein öffentli-  
ches Amt zu verwalten, freysprechen? Num iuuenis vere persuasus  
esse potest, se, ope huius translationis, idem cogitare, quod in scri-  
bendo cogitauerit CICERO? Alterum exemplum ex lib XVI. ep.  
ii. petam, in qua non procul ab initio scriptis CICERO: *modo fac*  
*id, quod humanitatis tuae est, ne quid aliud cures, hoc tempore,*  
*nisi, ut quam commodissime conualefas.* Quae verba iuuenis me-  
chanicus, omni certe commiseratione dignus, mehercule ita ver-  
tit: thue nur das, was deiner Leutseligkeit zukommt, u. s. f. Quis  
vero sensus? quale argumentum mouens pro curanda bona cor-  
poris valitudine, desumum a mansuetudine? Nouum mechan-  
icae

nicae huius institutionis vitium est, ut elegantiae, venustates, lu-  
mina orationis, sales et lepores praetermittantur. Auctores, ho-  
mines non umbratici, sed viri ingenio, doctrina, rebus gestis, et  
usu rerum maximi, nullibi veritatem nudam, vel immunditie et  
sordibus conspurcatam, sed ubique locorum optime vestitam, non  
fucatam, ornatam tamen, descriperunt, ita, ut quilibet sapientum  
se tum demum in suo genere perfectum putet, si ad eorum exem-  
pla, quam proxime, accesserit. Quid vero inde, si omnes haec sua-  
uitates tantam indignitatem experiantur, ut superfluum videatur,  
iuuenes ad illas sentierendas, et, adultiori aetate, maiori adhuc  
cura et sollertia, inuestigandas, praeparari? Gustus eorum, quem  
tamen per omnem vitam, ut habitum, sequuntur, non emendatur,  
sed potius corrumpitur et deprauatur, illecebris humanitatis eius-  
que incantamentis neque alliciuntur, neque capiuntur, graecos  
latinosque auctores iam in scholis fastidiunt, et, deposito pal-  
lio scholastico, nescio, quid sibi euenturum putent incommodi,  
illis si aliquid temporis tribuant. Ignotae rei nulla est cupidio, et  
contemptus auctorum, si semel inualuit, difficillime, ut omnis opini-  
o praeconcepta, euellitur. Quid porro de latine scribendi fa-  
cilitate dicam? Quomodo fieri potest, ut iuuenes, nisi auctorum  
classicorum suavitatibus fuerint deliniti, tersae, purae, et venustae  
in scribendo latinitati operam dent, ut numerosam, quae dicatur,  
efficiant orationem, ut aptam quandam, naturalem, et latinorum  
optimis frequentatam collocandarum enunciationum continuatio-  
nem, et urbanitatem, per totam orationem fulsam, imitando asse-  
quantur? Mechanica auctorum classicorum interpretatione impe-  
dit, haec omnia, quibus animum et aures adsuefacerent, nota-  
da neglexerunt. Hinc vel adultiori aetate, et ad summos honores  
elati, in dicendo et scribendo immundas et sordidas adhibent vo-  
ces, vernaculae linguae consuetudine decepti, in iungendis voci-  
bus aberrant a praeceptis et indeole linguae latinae, et, quo plures  
in primis auctores in iuuentute, mechanice, legerint, eo saepius  
illos

illos inter se commiscent, ut ex omnibus velut unus effici videatur. Sed animus etiam, quo non minus, quam ingenio, homines sumus, humanitatis disciplina ad virtutem est formardus, quid igitur ad illum colendum alendumque confert lectio auctorum classicorum mechanica? Quem denique fructum ex illa percepit Theologia et religionis studium, in cuius tamen detrimentum lege cauebat Julianus Imperator, ne Christianae iuuentuti liceret, humanitatis auctorum interpretes audire? quantum adiumenti ab illa sperare potest legum iurisque studiosus, cuius omnis intelligentia a latinis literis, ab antiquitate Romana, et historia ducitur? quantum praesidii ad disciplinam suam in latinis, et graecis in primis, literis positum putabit artis salutaris studiosus? Mechanismo eorum, quos magistros nacti sunt, decepti, abiecam de libris Graecorum et Romanorum opinionem fuscipiunt, vt nihil ex iis, quod in usu sit, disci posse, intellectissime sibi videantur. His igitur omnibus ex cassis est, cur iuuenes, quorum ingenia hoc usque a mechanicis non tam continebantur, quam potius opprimebantur, magistris, de publica, SERENISSIMI ELECTORIS nostri iussu et auctoritate instituenda, scholarum emendatione sibi gratulentur. Nam non solum optimi, et rebus scholarum conuenientissimi auctores, ut omnis in illis deligendis remora et ablata esset errandi occasio, sunt praescripti, sed ratio etiam, qua in verum iuuentutis cōmodum explicarentur, sapientissime his vocibus est adiuncta: Weil die alten Sprachen, und die alten Schriftsteller derselben, in dreifacher Absicht, mit der Jugend getrieben werden: erstlich, um sie zu verstehen, und auszulegen; zum andern, im Reden und Schreiben, und zwar nicht nur in der lateinischen, sondern auch in den lebendigen Sprachen, mit Einsicht und Geschmacke, nachzuahmen; und drittens, allerley nöthige und nützliche Sachen daraus zu lernen; so sollen auch die Lehrer der Jugend ihre Lectionen darüber so einrichten, daß alle diese Absichten befördert und erreicht werden können. Sie sollen also zuförderst den Schülern den Sinn der

Worte, und die Ausdrücke erklären, auch selbst finden lehren, damit sie eine befähigende Uebung im Auslegen haben, und dadurch zu den höhern Studien, bey welchen die Auslegung nöthig ist, vorbereitet werden. Hier nächst sollen sie selbige, die darin vor kommenden nützlichen Sachen anmerken lehren, und sie selbst, nach Bedürftigkeit erklären, sōdenn aber, wenn sie den rechten Verstand der Worte und Sachen gesäket haben, ihnen auch die Ordnung, den Zusammenhang, und die ganze Art, wie die Sachen vorgetragen sind, zeigen, die Deutlichkeit, Richtigkeit, und Schönheit der Gedanken und des Ausdruckes fichtbar machen, und, so viel möglich, auch die Anwendung und den Gebrauch in der Nachahmung weisen. Dabey sollen sie des Herzens nicht vergessen, sondern überall sehen, was zu guter Bildung derselben dienet, und die Schüler darauf anführen, daß sie auch das Gute und Böse, so in den Neden und Thaten vor kommt, empfinden, jenes lieben, und dieses hassen lernen, oder in dieser Liebe und Hasse bestärket werden.

Finiamus his secundam de caussis et vitiis Mechanismi Scholastici commentationem, additis his precibus, iisque religiosissimis, vt Deus nouis institutis scholasticis, et optatis nostris pro Serenissimi Sapientissimique eorum Auctoris, F R I D E R I C I A V G V S T I , salute, prospera valitudine, et vita longissima, clementissime annuat. Seruet et tueatur Deus Patrem hunc Saxoniae Optimum, grande bonarum literarum praefidium, cum Serenissima Uxore, et tota denique Domo Celsissima! Seruet et tueatur Deus omnes Spiritus sui; Sapientiae, bonaēque mentis officinas, iisque omnibus, quorum consilio, prudentia, cura, et vigilii res illarum administrantur, incolumentatem, felicissimum consiliorum successum, et praemia dignissima largiatetur!

EX SCHROEDERI, Rectoris de Lyceo nostro quondam, profecture, satis meriti, voluntate et testamento, quotannis publica in dicendi facultate exercitatio, cum quatuor iuuenibus, fidei et institutioni nostrae commissis, est instituenda, quam, atrocissimi supplicii, quod Christus, salutis nostrae aeternae auctor et in-

stau-

Auctor, pro nobis perpeccus est, memoria commoti, in crastinum diem transtulimus. Quatuor igitur iuuenum nostrorum publicas habebunt orationes. In quorum numero cum duo sunt, primus nimirum et secundus, quibus ob industriam morumque integritatem venia publice valedicendi concessa fit, animo integrissimo appreco, vt Deus O. M. hos in spem patriae et ecclesiae succrescentes iuvenes in posterum quoque Spiritu suo regat, eosque in dies laetius adolescere iubeat. Integer vero ordo illorum, qui dicent, hic est:


I. IOANNES GEORGIVS SCHVILERTVS, Torgauiensis, qui, de substitutione Christi pro nobis in Sacrificium piaculari, in oratione latina differet.

II. CAROLVS GOTTLLOB GEYERVS, Belgora-Misnicus, qui, de Christo Irenarcha, in eadem lingua ageret.

III. IOANNES CHRISTIANVS SIGISM. SNTENIS, Serueta-Anhaltinus, qui in lingua vernacula de Christiani tranquillitate ex vulneribus Christi verba facere, et valedicentibus amicis felicissimum in Academiam abitum apparetur instituit.

IV. IOANNES HENRICVS GENTSCHIVS, Artzbergenfis-Saxo, qui, in carmine germanico, animi Christi morientis praedicabit aequitatem.

VIRI igitur ILLVSTRES, EPHORYS SVMME REVERENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, SACERDOTES PLVRIMVM REVERENDI, MAGISTRE LYCEI FIDELISSIMI, et reliqui MVSARVM AMICI, vt crastino die, audit hora IV. finitis sacris pomeridianis, hos oratores iuuenes frequentia sua, qua huc usque semper confueuerunt, dignos censemant, decenter oro rogoque. Dedi Torgauiae, pridie Kalendarum Aprilium A. I. S. MDCCCLXXIV.





AB:155056

VD 18

ULB Halle  
003 085 112

3



TA → SL  
nur 75 Blatt /

VDT7

R



56

T I I S  
I S M I  
I C I

C V N D A

N DICENDO

J E M

N T E N I S

N S I S .

A N I S .

B. I. G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



M E S

C O

PUBLIC

E

C A R

A

T O